Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31636
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

runt cupientes ad hierosolimam descendere. Totius autem populus israhel in illa provincia permansit. Ideoque due tantum tribus constitute per asiam et europam obsequentes romanis. Decem autem tribus actenus transeufraten commorari probantur. Quarum multitudines inestimabiles minime possunt numero comprehendi. Venerunt etiam ad esdram multi sacerdotes et levite et ianitores cantoresque ac servi agri quos congregans de captivitate transeufraten diebus tribus moratus ieiunia eis imposuit ut deo vota pro salute solverent ne quod in via paterentur adversum aut per hostes. aut per aliam quandam difficultatem accidentem. Nam esdras regi predicens quod deus eos perduceret etiam non petiit qui eos precederent equites. Et postquam vota perfecerunt ab eufrate surgentes die xii. primi mensis septimo imperii anno xerxis ad hierosolimam pervenerunt quinto mense eiusdem anni. Et illico esdras custodibus pecuniarum de sacerdotali genere existentibus restituit sacras pecunias argenti talenta sexcenta quinquaginta. vasa argentea talentorum centum. vasa aurea talentorum xx et vasa aerea auro meliora habentia pondo talenta xii. Hec namque rex et consiliarii eius et omnis israhelite babyloniam habitantes donaverunt. Cumque esdras tradidisset eas sacerdotibus obtulit deo legitimas hostias holocaustum. thauros xii. pro communi vero populi salute arietes xc. agnos lxx duos. Hedos pro purgatione delictorum xii. Regis quoque dispensatoribus et prefectis humilis syrie ac fenicis regias litteras obtulit qui denunciationem eius agere compellebantur gentemque honorabant et ad omne opus bonum cum eis elaborabant. Hec igitur quemadmodum et ipse esdras deliberaverat processerunt deo eum ut arbitror dignum in his que voluit iudicante propter iusticiam ac benignitatem eius. Quem pauco tempore transeunte aliqui adierunt accusantes. quod quidam sacerdotum et levitarum transgressi sunt patrias leges. uxores alienigenas ducentes. et genus sacerdotale confundentes. petebantque ut legibus subveniret ne communis super omnes veniens ira calamitatibus iterum eos involveret. Qui cum audisset mox pre merore vestem disrupit et caput barbamque contumeliose dilacerans sese prostravit in terram. quod tale facinus primates populi commisissent existimans quia si preciperet eis uxores cum earum filiis deserere nemo eorum obediret et ideo permanebat in terra iacens. Concurrebant

autem omnis mediocres eorum ad eum et dolorum eius in his que facta sunt participes erant. Cum autem esdras a terra surrexisset et manus ad celum tetendisset dicebat: Confundor quidem a deo propter populi delicta veniam suscipere qui etiam de sua memoria parentum nostrorum iniquitatem remisit. Rogabat vero dominum qui semen aliquod et reliquias ab illa eorum calamitate vel captivitate servaverat et rursus ad hierosolimam et propriam terram restituerat qui et reges persarum impendere eis misericordiam preparabat ut veniam solita pietate concedere. Se vero morte quidem digna commisisse: bonitatis autem dei esse hos tales a tormentis eripi. Qui postquam orando conticuit cunctis lugentibus qui cum uxoribus et filiis ad eum convenerunt. Quidam achanonius nomine primus hierosolimitanus accedens ad eum dicebat ipsos quidem peccasse cohabitantes cum alienigenis uxoribus. persuadebatque ei omnes iurare quatenus suas uxores cum earum filiis amoverent et hos punirent qui legi obedire contempnerent. Flexus igitur esdras fecit principes tribuum sacerdotum et levitarum et israhelitarum iurare quod uxores suas et filios secundum achanonii consilium incunctanter abdicarent. Suscipiens vero sacramenta statim egressus est templum. habitaculum vero iohannis ingressus filii eliab. et nichil penitus illo die propter merorem comedens ibidem commoratus est. Facta autem predicatione iubens omnes qui ex captivitate redierant ad hierosolimam colligi. et hos qui non ante biduum aut tres dies occurrissent alienari a multitudine et substancias eorum auferri decernens secundum iudicia seniorum convenerunt intra tertiam diem ex tribu iuda et beniamin in vicesimo die noni mensis qui secundum hebreos casleu. secundum macedones appelleos vocatur. Cumque in superiori loco templi consedissent presentibus senioribus et propter gelu vehementer afflictis. surgens esdras criminabatur illos quod preter legis consuetudines alienigenas duxissent uxores. Nunc ergo facturos eos rem deo gratam et sibi utilem dicebat si uxores eicerent. Cumque omnes id se perfecturos clamabant sed habundantem esse multitudinem tempusque hiemale et hoc opus non unius aut duorum esse dierum. sed oportere ut duces et alii qui cum alienigenis habitabant uxoribus. tempus acciperent dilationis. et seniores qui cohabitabant cum alienigenis multitudinem visitarent. Cum